



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Scopus quisnam omni operi exercitioq[ue] præfigendus. Opera cuncta vt modo perfectissimo fiant, corpus discretè quî regendum: quæ item intentio triplex sit nobis necessaria. Cap. XVI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

*Scopus quisnam omni operi exercitioque præfigendus; opera cuncta vt modo perfectissimo fiant: corpus discretè qui regendum: quæ item intentio triplex sit nobis necessaria.*

## CAP. XVI.

Mat 6.

Ibidem.

Scopus omnium actionum quis esse debeat.

Finis mediæ & utilitas in omni opere attendenda.

Intentio quò casta, simplex, ac recta esse debeat. Modo prudentissimo omnia facienda.

Cant. 2.

**I**N omni opere, studio exercitioque finem tibi ac scopum sanctum præfige. Sit oculus tuus (quomodo Christus docet) hoc est intentio tua, simplex, & rectum sit corpus lucidum. Nam si tenebrosa fuerit intentio, nihil lucis, nihil candoris inesse potest operi. Si enim in vobis inquit, quod lux esse debet, tenebræ sunt, quid de reliquo quod tenebrosum agnoscitur est æstimandum: Finem tu ipse hunc omnium actionum tuarum tibi constitue, scopumque, in quem semper respicias, ad quem tuos conatus dirigas, hunc videlicet tibi præfige, nempe charitatem, placentissimamque Dei voluntatem, vt in nulla re quamlibet bona te ipsum quæras, sed Dei solius gloriam, honorem ac beneplacitum. Finis hic oculis præfixus ad bona instruit, prouocatque studium. Nunquam igitur ab hoc fine, ab hoc fundamento atque scopo sancto diueras. Cura quantopere vales, vt hæc intentio sancta in te sit perseueretque semper. Quicquid loquendum, cogitandum fuerit aut agendum, præmeditare & expendere quantum profit id, de quo tecum consultas, humilitati ac charitati, quantumue officiat eisdem. Nam si humilitas, charitasque inde nihil roboratur, tuum non erit de hac re ultra cogitare, sed illam abijcere. Attende semper quid te moueat ad faciendum hoc, siue dicendum. Vbi te discussisset sapienter, inuenies consilium in te quod vehemens forte ac sanum putabas, non à Spiritu sancto inspiratum. Dissipetur igitur & pereat. Respice igitur (vt præmonui) ad finem atque scopum tuum, deinde nihilo secius vide quæ cuiusuis rei, quam cupis, sit futura, utilitas. Postremò expende, per quæ media, licite an illicita, debeat res eadem perfici seu obtineri. Esto res bona sit & utilis, si tamen obtineri non potest nisi per illicita media, haud quaquàm in eandem rem consentias, nec à te recipiatur aut probetur. Vltimus enim omnium finis tibi est in cunctis quæ agis, aut conaris, vt placeas Deo. Deus igitur præcipuum est quod intendis, ipseque & eius honor eiusque voluntas ac beneplacitum, vniuersa est ratio, quare aliquid facias aut omittas, diligas aut odias, quæras aut execreris. Intentio tua esse debet casta simplex ac recta. Casta, vt neque sit adulterata, neque vitio villo permixta. Simplex, vt absque fictione aliqua Deum solum quærat. Recta, vt errore, peccatoque careat. Quo modo ante opus discutiendam dixi intentionem vt inuestiges animi tui secreta, sciasque quid te moueat, & si quid vitij inuentum fuerit in ea, ipsa corrigatur, aut mutetur intentio: Ita etiam de modo faciendi peruestigandum est, an meliori vtiliori que quam decreueras, modo quod futurum est fieri possit. Neque enim ex sacra scriptura charitatem duntaxat seruandam discimus, sed etiam ordinandam vt omnia ordine debito, non præpostero, modoque prudentissimo vtiliter faciamus. Non solum opera credas ad finem, hoc est ad charitatem quæ Deus est, & ad eius perfectissimam esse voluntatem mouenda.

tienda, verum etiam mores, gressus, gestus & verba, quæ omnia in te quasi iuxta regulam ordinentur, & nihil sit in te otiosum. Otiosum dicitur, quod sine necessario, aut iusto, intentionisq; bonæ caret ratione. Quicquid igitur agendum, dicendumve est, ided agatur dicaturq; quia Deo sic placet. Quicquid verò execrandum, ided execretur, quia Deo displicet. Itaq; cura semper vt hæc in te radix permaneat, & non tibi nocebunt quæcunq; acciderint. Vni enim voluntatis tux cum Deo, ex omnibus angustijs liberabit te. Hæc in te semper inueniatur, & sufficiet.

Otiosum quò nihil debeat esse in homine.

Hæc est regula quam tenere debes, hucq; tendat omnis conatus tuus, vt in corde tuo iuge semper sit silentium, perpetuaq; solitudo, vt ab omnibus, quæ aut propter Deum non admittuntur, aut quæ in Deum cor sursum non vehunt, maneas animò occupatus. Intellectus enim tuus purus, simplex, atque nudus ab omni cogitatione, ab omni re sensibili, à formis, imaginationibus & fantasmatibus esse debet, quo tranquillè liberèq; soli Deo vacet atq; in hæreat. Porro affectus tuus ab omni amore sensibili erga quamcumq; creaturã abstractus, ac liber sit, vt nullam creaturam diligas aliter, quam aut in Deo, aut propter Deum. Itaq; illuc tende, vt affectus tuus semper sit eleuatus ad Deum, cui adhæreas soli. Quare nihil quocunq; cogites oportet, nihil desideres, nihil loquaris, ad nihil afficiaris, nihil velis, nil desideres, nil diligas, cum nulla re te occupes, nisi cum Deo, aut ea re quæ te trahit in Deum, & hoc propter Deum. Non tamen externæ hic sunt occupationes propterea relinquendæ, quæ ex obedientia, aut charitate, aut ex necessitate etiam obseruandæ sunt, vt potè quæ propter Deum fiunt. Sed mens huiusmodi operibus non ad se esse debet intenta, quin nihilominus in solitudine & interno silentio Deo interim loquatur. Quicunq; ad hæc aliq; huiusmodi imperfectiorem te inuenis, necum ora continuè ad Dominum hoc modo: *Deus meus, quam longe adhuc disto à beneplacito tuo qui necdum inter eos numerari possum, qui tua seruat præcepta. Ex me (quando me ipsum intueor) desperare quidem possem, at misericordiatua maior est mea infirmitate, cui me innecto, cui inhereo & inuitor. Ah misericordissime Iesu, vtinam vel ad veræ perfectionis principium queam peruenire. Vtinam vel perfectæ perfectionis viam merear incipere. O pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, miserere mei, & adiuua me, vt perfecto atque toto corde iugiter tibi seruiam, placeamq; tibi totus & perpetuo.* Alia adhuc tibi necessaria est regula, vt te ipsum totum, omnia quæ tua sunt, & quæ tibi eueniunt, aut euenire possunt, soli Deo committas, ex intimo corde in illum solum sperans, in illum respiciens, te illi credas, ab omni deniq; solitudine & cura propria exutus, confidentis in eum te illi (cui de te cura est) relinquant. Si hoc feceris crede, imò certissimum tene, tibi ab eodem in omnibus prouideri, tubueniri, teq; à malis omnibus saluari, non eo semper modo quo tu velles, nec quando tu oras, sed quomodo & quando expedièrit. Cuncta igitur de eiusdem paterna manu libenter accipe, teq; illi plenè resigna ac relinque, nihil aliud volens, nihil desiderans, neque præsentis, neq; tempore futuro, quam vt ipsius laudabilissima voluntas de te, per te, in te, & in omnibus fiat. Hoc, inquam, solum optes & propter hoc ipsum quæcunq; postulanda sunt, postules. Cæterùm quod dicta diligentius custodias, addenda est tertia regula, vt non aliud tibi videatur, quam anima tua separata sit à corpore, & extra mundum constituta.

Silentium solitudoque interna quò iugiter seruanda.

Preçatio pro perfectione obtinenda.

2. Cor. 1.

Resignatio necessaria quæ.

1. Pet. 2.

Pp

Ima



Corpus suū  
quod cuique  
curandum  
ac diligen-  
dum sit.

Imaginare igitur coram Deo te esse, cui nulla singularis post hac, aut maior sit cura de corpore tuo, quam de corpore proximi. Itaque te habet ad corpus tuum, sicuti te habes ad alienum, cui necessaria propter necessitatem, non propter voluptatem prouideres: de quo parum aut nihil doles, siue despiciatur siue laudetur, affligatur, aut consoletur. Quomodo ergo proximi corpori secundum Deum diligis, eidemque ex charitate ministras, sic tuo exhibe corpori idem ministerium, non ex priuato aut proprio, sed Dei amore. Quomodo itaque despiceris, dic tibi ipsi, nihil hoc pertinere ad te, sed despice te ipsum quodque cum cæteris te despicientibus. Spiritus corpore separatus, nihil curæ habet de suo corpore, hoc tantum agit, ut Deo inauertibiliter inhæreat, cui totus est coniunctus, totus vnitus, totusque in eundem absorptus.

Precatio pro  
diuinarū in-  
spirationū  
perfectione  
Psal. 36.

Dic: Domine Iesu Christe, qui ad eam misericorditer bonum nobis semper inspiras, et continuo inuitas ad meliora, quanta est ingratitude mea, qui nihil adhuc horum fecerim. Misereere igitur mei Deus meus, misereere mei. Quamuis (ut supra dixi) feceris, ut omnem actionem, orationemque tuam tanquam ad finem, in & iuxta placentissimam Dei voluntatem ordines, nihilominus simul quoque intende, quicquid agis, propterea etiam agere, ut consuetudinem bonam habitumque virtuose ac sancte operandi tibi introducas, quo non modo semel sed semper alacriter bonum facias. Placet autem vehementer hæc intentio Deo, qua non semel tantum, sed sæpius semperque te eidem optes intendasque placere. Est enim in omni actione intentio. Prima est qua actio ipsa, quia creditur seruire adminiculari ve virtuti, idem recipitur. Altera est, qua non solum actio recipitur, quia ad virtutem inducit aut famulatur, verum etiam frequenter recipitur sæpius, ut deuotio ita agendi habituetur, & quod semel placuit, ut semper placeat iteratur. Propterea enim in consuetudinem duci curatur. Tercia est, quæ quantam utilitatem, siue multam siue nullam hæc actio inducat, non respicit: sed solum an Deo hæc placeat actio interrogat, ita ut intentio Deo placendi, sola sit causa hoc modo agendi. Quam ubi placere didicerit, non solum ex actione illa Deo studet placere, verum etiam per actionem huiusmodi, ad Deum mentem leuet, eidemque conetur ut inhæreat.

Præmedita-  
tio quid sit  
ante actionem  
seu loquuti-  
onem.

Ante actionem loquutionemve quamcumque, expedit præmeditari quid occurrere possit mali, aut in quem finem res concepta sit abitura, quæ item scandalorum occasiones, aut etiam offensionis diuinæ suboriri queant, aut interim ad illa, ac si occurrerent, aut præsto iam adessent, quomodo tibi agendum sit, quomodo ve te habere debeas, dum res adhuc tranquilla est, te ipsum inspicue. Animum quidem semper debes habere paratum ad aduersa ac molesta pro Deo sustinenda: at verò intentionem ut sincera hæc castaque sit ac recta, ante omnia prouide. Multum enim coram Deo aut accusat, aut laudat opus intentio. Neque enim opus quamuis in se grande exiguumve æstimetur, iuxta sui generis mensuram, sed ex intentione, studio, amoreque placendi Deo æstimandum est.